



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 11. Virginibus, contra inopiam & infamiam, succurrit Virgo Virginum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

propatulo loco, apertam arculam tomento & scrutis vilissimis refertam, P. Ioannes Polancus domi perscrutatur, & scripta quedam diligentius inquirat, recentes nummos aureos fulgentesq; in ea casu reperit, quibus subuentum presenti necessitati est. Nam illud diuina quidem prouidentiae signum, minus tamen mirandum est, in summis rei familiaris angustiis fuisse, qui nostra necessitatis insci, pecuniam ultro offerrent, ve etiam benigne domum deferrent: qua oratione nostram sepe inopiam subleuarent.

§. XI.

Virginibus, contra inopiam & infamiam,
succurrit Virgo Virginum.

Per simile, & aliquantò etiam prodigiosius est, quod à Ioanne Iuniore aliisque memoratur, de Nobili quidem, & pia, sed paupercula matrona, quæ, cum non esset, quod alendis geminis filiabus sufficeret, adduxit eas in templum, ad statuam Matris Dei, ibi manus filiarum in manus Mariæ transponens: *Has meas filias, inquebat, quas, ob inopiam, sustentare non possum, tibi, ô Dei parens, in manus trado, iure meo materno omni tibi resignato, ut tu illas pariter in vita, & virginea illibataq; castitate conserues.* Oratione, in hunc modum, peracta, domum regrediuntur. Redeuntibus

Io. Iunia
or in sca
la cœli
Leon.
Mayr. 21.
Maj in
stemma
te Maria
no.

bus incognitus iuuenis sacculum 100. talentorum offert, hoc se aiens patri carum adhuc debuisse. Hac pecunia mater filias decentius vestitas reliquis etiam rebus necessarijs instruit. Sed adfunt illico oculi maligni, & linguæ Theoninæ, quæ spargunt, inhonesto quæstu, filiabus, peculium obuénisse. Doluit castissimis puellis magis infamia, quàm inopia. Quò confugerent virgines, nisi ad Virginem, & filia, nisi ad Matrem? Eunt comprecaturum; queruntur, apud Deiparam, de publica infamia, in publico loco. Extemplo ostensum est, Superos audire mortalium preces. Nam nullâ mora, in conspectu totius ciuitatis, duo pulcherrimæ iuuentutis Angeli è cœlo aduenère, manibusque elegantissimas coronas ferentes dicebant: *Hæc ferta vobis, in testimonium illibatæ vestræ virginitatis mittit Maria IESV & vestra Mater.* cum dicto ferta obtulerunt, atq; etiam oculis mortalium se subducentes magnâ & Deiparæ, & ambarum virginum opinionem, in spectantium animis, reliquerunt. Quippe duo cœnobîa extemplo exædificata sunt, in quibus duæ tantæ cœli gemmæ conderentur. Ita dotare nouit Dei Mater filias sibi commendatas. Bonæ sunt artes, quæ diuinis

nis

his auxilijs nituntur. Malis artibus homines plus amittunt, quàm acquirunt.

§. XII.

Fabula dantis, quod auferre volebat, & historia accipientis, quod, templi aduendi causa, a labore abstineret.

Quod vel Phryx ille voluit indicare; cuius hæc sunt. Valde exercitatus fur; egregiam & questuosam operam quadam nocte nauarat, compilatis aliquot diuitum arculis. Itaq; auro argentoq; refertum sacculum portans etiam in pauperis ades deuenit: quas scrutans cum nihil inueniret rerum preciosarum, in farinariũ tandem vasculum incidit. Ne vacuus autem, contra disciplinam suam, discederet, ponit sacculum, in illum congesturus farinam. At pater familias strepitu excitatus de somno; & timens victui suo, in furem, telo arrepto, cum clamoribus irruit. Ille territus ex adibus, sacculo relicto, fuga euadit. At pater familias, excussõ igne & lumine illato; magnas, præter spem, opes reperit. Sic ille qui farinam pauperi relinquere nolisset, auro & argento caruit: Nimirum sæpe ex insperato succurritur innocentibus; & malè parta, malè dilabuntur, longèque maius lucrũ reportat, qui lucrũ Dei causa negligit: Cuius rei insignem habemus in m.esso-

Æsop. fol
373.